

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Iulii Agricolæ vita

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

# I V L I I A G R I C O L Æ V I T A, S C R I P T O R E C O R N . T A C I T O .

Cap. 1.



L A R O R Ū M virorum facta moresque posteris tradere antiquitus vsitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum ætas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium paruis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti & invidiam. Sed apud priores vt agere memoratu digna prouum, magisque in aperto erat: ita celeberrimus quisque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam sine gratiâ aut ambitione, bonæ tantum conscientiæ pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam

arrogantiam arbitrati sunt. nec id <sup>2</sup> Rutilio & <sup>3</sup> Scauro citra fidem, aut obtrextationi fuit. adeo virtutes iisdem temporibus optimè æstimantur, quibus facillimè gignuntur. At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis, veniâ opus fuit. quam non petissem, <sup>\*</sup> ni incurfaturus tam sæua & infesta virtutibus tempora. <sup>4</sup> Legimus cum Aruleno Rustico Pætus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Heluidius laudati essent, capitale fuisset: neque in ipsos modò auctores, sed in libros quoque eorum sæuitum, delegato triumuitis ministerio, vt monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro vrentur. Scilicet illo igne vocem Pop. Rom. & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiæ professoribus, atque omni bonâ arte in exsilium actâ, ne quid vsquam honestum occurreret. Dedimus profectò grande patientiæ documentum: & sicut vetus ætas vidit, quid vltimum in libertate esset; ita nos quid in seruitute, adempto per inquisitiones <sup>5</sup> & loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostrâ potestate esset obliuisci quàm tacere. Nunc demum redit animus: & quamquam primo statim be-

Cap. 2.

Cap. 3.

## N O T Æ.

1. **I** BELLVS hic, siquis alius, verè disertus, verè prudens, scriptus videtur sub idem tempus cum illo de Germaniâ: vel certè haud longè secus. Nam quadriennio post mortem Agricola hunc contexuisse videtur, ipso quidem indice, hoc libro: Nobis tam longæ absentiae conditione, ante quadriennium amissus est. Atque obiit Agricola Pompeio Collegâ & Corn. Prisco COSS. Vti hac ratione, scriptum syntagma hoc esse oporteat sub ipsum initium imperij Traiani.

2. **RUTILIO.** ] Rutilium Rufum intellegit, qui & Historias scripsit, & Orationes, & De vitâ suâ. Citant eum Latini Græciq; scriptores passim, & nominatim Charisius hac De vitâ. Etiam Isidorus, sed corruptus, lib. xx. Orig. Lecticæ sitæ plutei lecti-

de quibus Satilius Rufus De vitâ suâ: Primum, inquit, consuetudine Imperatorum ipse pro lectis lecticis utebatur. emenda, Rutilius Rufus.

3. **SCAVRO.** ] De quo Cicero in Bruto: Huius & orationes sunt, & tres ad L. Fufidium libri scripti De vitâ ipsius actâ, sanè vtilis. Plinius libro xxxiv. L. Fufidium illum, ad quem Scaurus De vitâ suâ scripsit. Valerius Maximus libro iv. M. Scaurus quantulam à patre hereditatem acceperit, in primo libro eorum quos De vitâ suâ scripsit, refert.

4. **LEGIMVS CVM.** ] Itane legimus? imò, vidimus. nam hæc sub Domitiano gesta, vt in extremo libello indicas, te viuo, atque adeo presente.

5. **ET LOQVENDI COMMERCIO.** ] Malo, etiam loquendi.

6. FACI-

A tiffimi sæculi ortu Nerua Cæsar res olim dissociabiles, miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque cottidie<sup>6</sup> facilitatem imperij Nerua Traianus; nec spem modò ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur assumerit: naturâ tamen infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia quàm mala. & vt corpora lentè augescunt, citò exstinguuntur; sic ingenia studiaque oppresseris faciliùs, quàm reuocaueris.<sup>7</sup> Subit quippe etiam ipsius inertia dulcedo: & inuisa primò desidia, postremò amatur. Quid si per quindecim annos, grande mortalis æui spatium,<sup>8</sup> multi fortuitis casibus, promissimus quisque sæuitiâ Principis interciderunt? Pauci, & vt ita dixerim, non modò aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exemptis è mediâ vitâ tot annis, quibus iuuenes ad senectutem, senes propè ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus: non tamen pigebit vel inconditâ ac rudi voce<sup>9</sup> memoriam prioris seruitutis, ac testimonium præsentium honorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolaë foceris mei destinatus, professione pietatis, aut laudatus erit, aut excusatus.

B<sup>10</sup> **C**NÆVS Iulius Agricola veteri & illustri Foro iulienfium coloniâ ortus, vtrum-  
que auum procuratorem Cæsarum habuit: quæ equestris nobilitas est. patet  
Cap. 4.  
<sup>11</sup> Iulius Græcinus senatorij ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus, iisque virtutibus iram Caij Cæsaris meritis. Namque Marcum Silanum accusare iussus, & quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, raræ castitatis. in huius sinu indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipsius bonam integramque naturam, quòd statim paruulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat; locum Græcâ comitate & prouinciali parcimoniâ mistum, ac benè compositum. Memoriâ teneo solitum ipsum narrare, se in primâ iuuentâ studium philophiæ<sup>12</sup> acriùs vltra quàm concessum Rom. ac senatori hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. scilicet sublime & erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementiùs quàm cautè appetebat: mox mitigauit  
Cap. 5.  
C ratio & ætas: retinuitque, quòd est difficillimum,<sup>13</sup> ex sapientiâ modum. Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino diligenti ac moderato duci approbavit, electus, quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter more iuuenum, qui militiam in lasciuiam vertunt, neque segniter ad voluptates & comæatus, titulum tribunatus & inscitiam rettulit: sed noscere prouinciam, nosci exercitui, discere à peritis, sequi

6. FACILITATEM IMPERII.] *Anne, felicitatem imperij? tametsi vulgatum quoque aptum ad scriptoris mentem.*

7. SVBIT QVIPPE IPSIVS INERTIÆ DVLCEDO.] *Est sententia quam in me aliquoties experior: & consonat Ausonius ad Paulinum:*

— agnosco pudorem,

D Quòd vitium fouet ipsa suum cessatio iugis,  
Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum  
Non seruate vices. & AMANT LONGA OTIA  
CVLPAM.

*Apuleij hoc etiam simile: Desuetudo omnibus pigritiam, pigritia veterum parit.*

8. MVLTIVS FORTVITIS CASIBVS.] *Vulgati hic confusi, nec sani. nos ab ingenio restituimus: vt pleraque alia in hoc libello, quem non inuenimus in illis manuscriptis, etsi germanissimum Taciti factum.*

9. MEMORIAM PRIORIS SVRVITVTIS.] *Correximus verè: cum in libris esset, prioribus senectutis. nisi quòd Venetus, prioris. At non de senectute suâ Tacitus, sed de priorum temporum seruitute clarè loquitur, & præsentium sub Neruâ felicitate.*

10. CNÆVS IVLIVS AGRICOLA.] *Ad quem pertinere videri Epigramma quoddam Antiphili; probabiliter obseruauit Io. Brodeus lib. I. Ἀνθολογ. εἰς Δάνατον.*

11. IVLIVS GRÆCINVS.] *De quo Seneca de Benefic. libro II. Si exemplo magni animi opus est, vtemur Græcini Iulij viri egregij, quem C. Cæsar occidit ob hoc vnum, quòd melior vir esset, quàm esse quemquam tyranno expediret. Et epistolâ XXIX. Iulius Græcinus vir egregius. Scripsit de re Rusticâ, aut certè de Vineis. ex Columellâ, lib. I. cap. I. Iulij Attici velut discipulus, duo volumina similium præceptorum De vineis, Iulius Græcinus composita faciliùs & eruditiùs posteritati tradenda curauit. Citat & Plinius eundem inter scriptores, Indice libri XIV. & XV.*

12. ACRIVS VLTVA QVAM.] *Nihil verius, quàm legi, vtraque, cum copulâ.*

13. EX SAPIENTIA MODVM.] *Imò hoc docet & præit Sapiencia, seruare modum. Fortasse, & sapientiæ modum. Difficile omnibus studiis temperare, sed huic vti que.*

- sequi optimos, nihil appetere<sup>14</sup> ob iactationem, nihil ob formidinem recusare, simul. A  
 que anxius & intentus agere. Non sanè alias exercitator magisque in ambiguo Britan-  
 nia fuit. trucidati veterani,<sup>15</sup> incensæ coloniae, intercepti exercitus. tum de salute, mox de  
 victoriâ certauere. Quæ cuncta & si consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa  
 rerum & recuperatæ provinciæ gloria in duem gessit; <sup>16</sup> artem & vsum & stimulos  
 addidere iuueni: intrauitque animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, qui-  
 bus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magnâ famâ, quam  
 ex malâ. Hinc ad capeffendos magistratus in urbem digressus, Domitiam Decidianam  
 splendidis natalibus ortam sibi iunxit. idque matrimonium ad maiora nitenti, decus  
 ac robur fuit. vixeruntque mirâ concordia, per mutuam caritatem, & inuicem se ante-  
 ponendo, nisi quod in bonâ vxore<sup>17</sup> tanto maior laus, quanto in malâ plus culpæ est.  
 Sors quæsturæ provinciam Asiam, proconsulem Saluium Titianum dedit. quorum  
 neutro corruptus est: quamquam & provincia diues ac parata peccantibus, & procon-  
 sul in omnem auiditatem pronus, quantalibet facilitate redempturus esset mutuam diffi-  
 mulationem mali. Auctusest ibi filiâ in subsidium, & solatium simul. Nam filium an-  
 tē sublatum, breui amisit. Mox inter quæsturam, ac tribunatum plebis, atque etiam  
 ipsum tribunatus annum quiete & otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus  
 inertia pro sapientiâ fuit. Idem præturæ tenor, & silentium. nec enim iuridictio obue-  
 nerat. Ludos, & inania honoris, <sup>18</sup> modo rationis atque abundantia duxit, vti longè  
 à luxuriâ, ita famæ propior. Tum electus à Galbâ ad dona templorum recognoscenda,  
 diligentissimâ conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium resp. quam Neronis sen-  
 sisset. Sequens annus graui vulnere animum domumque eius afflixit. nam classis Otho-  
 niana licenter vaga<sup>19</sup> dum in Templo (Liguria pars est) hostiliter populatur, matrem  
 Agricola in prædiis suis interfecit: prædiaque ipsa, & magnam patrimonij partem diri-  
 puit, quæ causâ cædis fuerat. Igitur ad solennia pietatis profectus Agricola, nuntio af-  
 fectati à Vespasiano imperij deprehensus, ac statim in partes transgressus est. Initia prin-  
 cipatus ac statum urbis Mucianus regebat, admodum iuueni Domitiano, & ex paternâ  
 fortunâ tantum licentiam vsurpante. Is missum ad dilectus agendos Agricola, inte-  
 greque ac strenuè versatum, vicesimæ legioni tardè ad sacramentum transgressæ præ-  
 posuit, vbi decessor seditiosè agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus ni-  
 mia ac formidolosa erat. Nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo  
 an militum ingenio: ita successor simul & vltor electus, rarissimâ moderatione maluit  
 videri inuenisse bonos quam fecisse. Præerat tunc Britannia Vectius Bolanus, placidius  
 quam feroci provinciâ dignum est. temperauit Agricola vim suam, ardoremque com-  
 pescuit, ne increfceret, peritus obsequi, eruditusque vtilia honestis miscere. Breui dein-  
 de Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. <sup>20</sup> Habuerunt virtutes spatium  
 exem-

Cap.6.

Cap.7.

Cap.8.

14. OBIACTATIONEM.] Ita Rhenanus. Venetus, in iactationem: alij libri particulâ vtraque vacui. Scribo, appetere iactatione.

15. INCENSÆ COLONIÆ.] Coloniam vnicam de-  
 letam reperio Camalodunum. Tacito ipsi id crede-  
 lib. XIV. atque hoc ipso libello, infra. Magis ergo ex rei  
 fide scribes, incensa colonia.

16. ARTEM ET VSUM ET STIMVLOS.] Commo-  
 dius, ni fallor: attamen & vsum.

17. TANTO MAIOR LAUS.] Assentior verò Piche-  
 na, tanto minor laus, ingeniosè adstruenti. Quod ego  
 tamen aliter ab illo explico. Non est maxima laus in  
 feminâ bonam esse, & mariti sequentem. quid ita?  
 quia sic facta à naturâ est, mitis, mollis, imbecilla, ad  
 parendum. Si ergo non facit, tanto plus culpanda, quia  
 & in naturam pugnat. At ille vult, vitius carere, lau-  
 dem non esse: quod ita est; sed nihil ad istam feminam,  
 quam non dicit non malam, sed bonam fuisse.

18. MODO RATIONIS ATQUE ABUNDANTIÆ.]  
 Id esset, modo quodam & temperie inter rationem, &  
 abundantiam. Rationem, quæ dissuadet in talibus ef-  
 fundere. Subiit aliquando legere: moderationis suæ  
 atque. vel potius, moderationi, satisque abun-  
 dantiæ. Vtrique satisfecit, & Moderationi, & Abun-  
 dantiæ: medius igitur.

19. DVM IN TEMPLO.] Audio Saullium (videre  
 nondum contigit, nisi valde optanti) correxisse: Dum  
 Intemelio: certè acutè & sagaciter, quantum potest.  
 Fuluius tamen in veteri codice repperisse ait: Dum  
 Intemelium, Liguria urbs est. In re consentio, in  
 verbo mutem: Dum Intemelios. Nam populi sunt  
 hoc nomine: & pro vrbe, aut singulari si legas, vix  
 phrasîs & textus admittit.

20. HABVERVNT VIRTUTES.] Ego sic lego:  
 Habuerunt virtutes spatium & exemplum. Sed  
 primò Cerialis modò labores, &c. Hac sententiâ:  
 Cerialis

A exemplorum. \* Sed primò Cerialis modò labores & discrimina, mox & gloriam communicabat: sæpè parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex euentu præfecit. nec Agricola vñquam in suam famam gestis exultauit, ad auctorem & ducem, vt minister, fortunam referebat: ita virtute in obsequendo, verecundiâ in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat. Reuertentem ab legatione legionis diuus Vespasianus inter patricios asciiuit, ac deinde prouinciæ Aquitaniæ præposuit, splendide in primis dignitatis administratione, ac spe consulatus cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura & obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercent. Agricola naturali prudentiâ, quamuis inter togatos, facilè iusteque agebat. Iam verò tempora curarum remissionumque diuisa. vbi conuentus ac iudicia poscerent; grauis, intentus, seuerus, & sapiens misericors: vbi officio satisfactum, nulla vltra potestatis persona. tristitiam, & arrogantiam, & auaritiam exuerat: nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut B seueritas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, iniuria virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui etiam sæpè boni indulgent, ostentandâ virtute, aut per artem quæsiuit: procul ab æmulatione aduersus collegas, procul à contentione aduersus procuratores. & vincere inglorium, & atteri sordidum arbitrabatur. Minus triennium in eâ legatione detentus, ac statim ad spem Consulatus reuocatus est; comitante opinione Britanniam ei prouinciâ dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. haut semper errat fama, aliquando & eligit. Consul egregiæ tum spei filiam iuueni mihi despondit, ac post consulatum collocavit, & statim Britannia præpositus est, adiecto pontificatus sacerdotio. Britannia situm populosque multis Cap. 9. scriptoribus memoratos, non in comparationem curæ ingeniuve referam; sed quia tum primùm perdomita est. itaque quæ priores nondum comperta, eloquentiâ percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularum quas Romana notitia complectitur maxima, 21 spatio ac cælo in Orientem Germaniæ, in Occidentem Hispaniæ obtenditur: Gallis in Meridiem etiam inspicitur: Septentrionalia eius, nullis contrâ terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britannia Liuius veterum, Fabius Rusticus recentium, eloquentissimi auctores, oblongæ scutulæ vel bipenni assimilauerunt. & est ea facies citra Caledoniam, vnde & in vniuersum fama est transgressa. sed immensum & enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram nouissimi maris tunc primùm Romana classis circumuecta, insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul 22 incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, inuenit, domuitque. dispecta est & Thyle, quam hæctenus nix, & hiems abdebat. sed mare pigrum & graue remigantibus perhibent. ne ventis quidem proinde attolli: credo quòd rariores terræ montesque, causa ac materia tempestatum, & profunda moles continui maris, tardius impellitur. Naturam Oceani atque æstus neque quærere huius operis est, ac multi retrulere. vnum addiderim: nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec litore tenuis accrescere aut reforberi, sed influere penitus atque ambire, etiam iugis atque montibus inferi velut in D suo. Ceterùm Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenæ an aduecti, vt inter Cap. 11. Barbaros, parum compertum. Habitus corporum varij: atque ex eo argumenta. namque 23 rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseue-

Cerialis & spatium campumque, exercendis virtutibus dedit, & exemplum. Ipse enim bonus strenuusque, dux. Sed tamen initio, labores dumtaxat & pericula cum Agricola partiebatur: mox, virtute eius clarè cognita, etiam laudem. Pichena autem retinet vulgatam, & capit de vtriusque virtutibus, Cerialis & Agricola, quæ spatium habuerint exempla prodendi.

21. SPATIO AC CÆLO.] Quid sibi velint hæc verba, quæerunt: nec immeritò. Ato distinctione illustranda: maxima spatium, ac cælo in Oriente m.

Est maxima spatium: si cælum intueare, & ab eo situm, in Orientem Germaniæ obiacet.

22. INCOGNITAS AD ID TEMPVS INSVLAS.] Si nunc demum inuenta, falsum quod Eusebius Chronico tradidit: Claudius de Britannis triumphauit, & Orcadas insulas Rom. adiecit imperio. quem tamen plerique Epitomarij scriptores secuti sunt.

23. RUTILÆ CALEDONIAM HABITANTIVM.] Adspexit, imò transcripsit in parte hunc locum Jordanes

asseuerant. Silurum colorati vultus, & torti plerumque crines, & positi contra Hispaniam, Iberos veteres traiecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt. proximi Gallis, & similes sunt: seu durante originis vi; seu procurrentibus in diuersa terris, positi cæli corporibus habitum dedit. in vniuersum tamen æstimanti, Gallos vicinum solum occupasse, credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasione. Sermo haut multum diuersus. in deposcendis periculis eadem audacia; & vbi aduenere, in detractandis eadem formido. plus tamen ferociæ Britanni præferunt, vt quos nondum longa pax emollierit. nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus. mox segnitia cum otio intrauit, amissâ virtute pariter ac libertate. quod Britannorum olim victis euenit, ceteri manent quales Galli fuerunt. In pedite robur. quædam nationes & curru præliantur. honestior auriga, clientes propugnant. olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur. nec aliud aduersus validissimas gentes pro nobis vtilius, quàm quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusque ciuitatibus, ad propulsandum commune periculum \* conuentus: <sup>24</sup> ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur. Cælum crebris imbris ac nebulis fœdum. asperitas frigorum abest. <sup>25</sup> Dierum spatia vltra nostri orbis mensuram, & nox clara, & extremâ Britannia parte breuis, vt finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem Solis fulgorem, nec occidere & exurgere, sed transire affirmant: scilicet extrema & plana terrarum humili vmbra non erigunt tenebras, <sup>26</sup> infraque cælum & sidera nox cadit. Solum præter oleam vitemque & cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, fecundum. tardè mitescunt, citò proueniunt. eademque vtriusque rei causa, multus humor terrarum, cælique. Fert Britannia aurum & argentum & alia metalla, prærium victoriae. gignit & Oceanus margarita, sed subfusca ac liuentia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur. nam in rubro mari vira ac spirantia faxis auelli, in Britannia prout expulsa sint colligi. ego <sup>27</sup> facilius crediderim naturam margaritis deesse, quàm nobis auaritiam. Ipsi Britanni dilectum, ac tributa, & iniuncta imperij munera impigrè obeunt, si iniuriæ absint: has ægrè tolerant, iam domiti vt pareant, nondum vt seruiant. Igitur primus omnium Romanorum D. Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prosperâ pugna terruerit incolas, ac litore potitus sit, potest videri ostendisse posteris non tradidisse. Mox bella ciuilia, & in rempublicam versa Principum arma, ac longa obliuio Britannia etiam in pace. Consilium id diuus Augustus vocabat, <sup>27</sup> Tiberius præcipuè. Agitasse C. Cæsarem de intrandâ Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentiâ, & in-

Cap. 12.

\* Vel, consentus:

Cap. 13.

\* Imò &amp; supra octodecim in extremâ eius parte.

*nandes De origine Gothorum: Silurum (malè in eo, sylorum) colorati vultus, torto plerique crine & nigro nascuntur. Calidoniam verò incolentibus rutilæ comæ, corpora magna sed fluida, qui Gallis siue Hispanis à quibusque attenduntur adsimiles.*

24. ITA DVM SINGVLI PVGNANT. ] *Dictum, quod ætas nostra & alia comprobauit. Iustinus eleganter lib. VIII. Græciæ ciuitates dum imperare singulæ cupiunt, Imperium omnes perdiderunt. Quippe in mutuam exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt.*

25. DIERV M SPATIA. ] *Res hodie testis: atque etiam viri ab illo æuo. Scriptor Panegyricus ad Constantinum, de Britannia: Longissimæ dies, & nullæ sine aliquâ luce noctes. dum illa litorum extrema planities non attollit vmbas, noctisque metam cæli & siderum transit aspectus. causâ tamen futili & à solo petita, quæ reuera à sole. Sed nimirum orator ille palam argutiolam à nostro hinc sumpsit: Scilicet extrema & plana terrarum humili*

vmbra non erigunt tenebras, infraque cælum & sidera nox cadit. *Plinius de longissimis diebus: In Italiâ horarum quindecim: in Britannia \* septemdecim; vbi æstate lucidæ noctes haud dubiè repromittunt id quod ratio cogit credi, Solstitij diebus accedente Sole propiùs verticem mundi, angusto lucis ambitu, subiecta terræ continuos dies habere senis mensibus, noctesque è diuerso ob brumam remoto. Quem corrigo transiens, haud dubiè re promunt.*

26. INFRAQUE CÆLVM ET SIDERA. ] *Id est (pro Taciti sensu) nox ibi humilis, quia ab vmbra est; vmbra autem non illic eriguntur: ergo longi dies, & serena noctes, ac sidera lucem suam spargunt, sine obstaculo. Nos alias causas scimus, & à Solis cursu.*

27. TIBERIVS PRÆCIPVE. ] *Valdè blanditur mihi correctio, Tiberius præceptum. Hoc sensu: Abstinerè à Britannia Augustus consilio visus: Tiberius, præcepto. atque id vterque præ se ferebat. Respicit in Augusto illud, quod Annali primo de eo scriptum: Addideratque consilium coercendi intra*

termi-

**A** & ingentes aduersus Germaniam conatus frustra fuissent, Diuus Claudius auctof operis, transfuctis legionibus auxiliisque, & assumto in partem rerum Vespasiano. quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, vterque bello egregius, redactaque paullatim in formam prouinciæ proxima pars

Cap. 14.

Britanniæ. addita insuper veteranorum colonia. quædam ciuitates Cogiduno regi donatæ. is ad nostram vsque memoriam fidissimus mansit, vetere ac iam pridem receptâ populi Romani consuetudine, vt haberet instrumenta seruitutis & reges. Mox Didius Gallus parta à prioribus continuit, paucis admodum castellis in vltiora promotis, per quæ fama aucti officij quæreretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum exstinctus est. Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque præfidijs: quorum fiducia Monam insulam vt vires rebellibus ministrantem aggressus, terga occasione patefecit. Namque absentiam legati remoto metu, Bri-

Cap. 15.

**B** tanni agitare inter se mala seruitutis, conferre iniurias, & interpretando accendere. Nihil profici patientiâ, nisi vt grauiora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi; è quibus legatus in sanguinem, procurator in bona scuiret. equè discordiam præpositorum, equè concordiam subiectis exitiosam: 28 alterius manus centuriones, alterius vim & contumelias miscere: nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. in prælio fortiozem esse qui spoliatur, nunc ab ignavis plerumque & imbellibus eripi domos, abstrahi liberos, iniungi dilectus tamquam mori tantum pro patriâ nescientibus. quantum enim transisse militum, si sese Britanni numerent? sic Germanias excussisse iugum, & flumine non Oceano defendi: sibi patriam, coniuges, parentes; illis auaritiâ & luxuriam causas belli esse. recessuros vt diuus Iulius recessisset, modo virtutes maiorum suorum æmularentur: ne ve prælij cœnis aut alterius euentu pauescerent. plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. iam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, 29 qui relegatum in aliâ insulâ exercitum detinerent: iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare porro in eiusmodi consilijs periculosius esse deprehendi, quam audere. His atque talibus inuicem instincti, Voadicâ generis

Cap. 16.

**C** regij feminâ duce (neque enim sexum in imperijs discernunt) sumserunt bellum: ac spatios per castella milites confectati, expugnatis præfidijs, ipsam coloniam inuasere, vt sedem seruitutis. nec vllum in Barbaris sæuitiæ genus omisit ira & victoria. Quod nisi Paullinus, eo cognito prouinciæ motu, properè subuenisset, amissa Britannia foret: quam vnus prælij fortuna veteri patientiæ restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, & proprius ex legato timor agitabat. Hic cum egregius cetera, arroganter in deditos, & vt suæ quoque iniuriæ vltor, durius consulere; missus Petronius Turpilianus tamquam exorabilior, & delictis hostium nouus, eoque pœnitentiæ mitior. compositis prioribus nihil ultra ausus, Trebellio Maximo prouinciam tradidit. Trebellius segnior & nullis castrotum experimentis, comitate quâdam curandi prouinciam tenuit. Didicere iam Barbari quoque ignoscere vitijs blandientibus. & interuentus ciuilium armorum præbuit iustam segnitæ excusationem. sed discordiam laboratum, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciuiet, Trebellius fugâ ac latebris

**D** terminos imperij, incertum metu an per inuidiam. At hoc Augustæum consilium Tiberius, qui omnia dicta factaque eius vice legis obseruabat, (ipse ita apud Tac. loquitur IV. Annal.) habebat vt præceptum, siue interdictum. Cause porro ipsa huius consilij in Strabone sunt, lib. IV. iuste & ex mente, nisi fallor, Augusti. At enim Principem contentum fuisse amicitiam cum Britannis colere, & tributi loco nescio quid minutarum rerum accipere: Ω 5e, addit, μηδὲν δὲ εἶναι φερούμενος τῆς γῆς. Τὰ δὲ ἄριστον ἴδενος τὰ γυμνασίου χρῆσαι αὐτῶν, καὶ ἰππικῆς πλοῦς, ὡς εἰ καὶ φέροντες ἀπάγειν παρ' αὐτῶν. εἰς ἴσον δὲ καθεύδατο πᾶν τὸ ἀνάλωμα τῆς στρατῶν τοῖς ποροσφερομένοις χρήμασιν. ἀνάγκη γὰρ μείωσαι τὰ τέλη φέρον ὑπεβαλλομένων,

terminos imperij, incertum metu an per inuidiam. At hoc Augustæum consilium Tiberius, qui omnia dicta factaque eius vice legis obseruabat, (ipse ita apud Tac. loquitur IV. Annal.) habebat vt præceptum, siue interdictum. Cause porro ipsa huius consilij in Strabone sunt, lib. IV. iuste & ex mente, nisi fallor, Augusti. At enim Principem contentum fuisse amicitiam cum Britannis colere, & tributi loco nescio quid minutarum rerum accipere: Ω 5e, addit, μηδὲν δὲ εἶναι φερούμενος τῆς γῆς. Τὰ δὲ ἄριστον ἴδενος τὰ γυμνασίου χρῆσαι αὐτῶν, καὶ ἰππικῆς πλοῦς, ὡς εἰ καὶ φέροντες ἀπάγειν παρ' αὐτῶν. εἰς ἴσον δὲ καθεύδατο πᾶν τὸ ἀνάλωμα τῆς στρατῶν τοῖς ποροσφερομένοις χρήμασιν. ἀνάγκη γὰρ μείωσαι τὰ τέλη φέρον ὑπεβαλλομένων,

αὐτῶν δὲ καὶ κινδύνας ἀπαντᾶν πᾶς, βίας ἐπαγομένης.  
28. ALTERIVS MANVS CENTVRIONES.] Cor- rigo, alterum manus, centuriones; alterum, vim & contumelias miscere. Legatus quidem, inquit, manus militum & centuriones immittit: procura- tor vim & contumelias infert. Fortasse etiam melius: Alternis manus, centuriones; alternis, vim & contumelias miscere: vt velit eos alternis, & vicif- situdine quadam scuisse. Imò, forte etiam: alterius munus, centuriones. Alter velut pro munere & ordinariâ operâ habet, immittere Centuriones & mili- tes: alter, &c.  
29. QVI RELEGATVM.] Placet. nec malè tamen, relegatum.

vitatâ exercitus irâ, indecorus atque humilis, precariò mox præfuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem. hæc seditio sine sanguine stetit. Nec Vectius Bolanus, manentibus adhuc ciuilibus bellis, agitauit Britanniam disciplinâ. <sup>30</sup> eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum: nisi quòd innocens Bolanus, & nullis delictis inuisus, caritatem parauerat loco auctoritatis. Sed vbi cum cetero orbe Vespasianus & Britanniam reciperauit, magni duces, egregij exercitus, minuta hostium spes: & terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum ciuitatem, quæ numerosissima prouinciæ totius perhibetur, aggressus. multa prælia, & aliquando non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoriâ amplexus, aut bello. Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus vir magnus quantum licebat, validamque & pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus. Hunc Britannia statum, has bellorum vices mediâ iam ætate transgressus Agricola inuenit, cum & milites velut omisâ expeditione ad securitatem, & hostes ad occasionem verterentur. Ordouicum ciuitas haud multò ante aduentum eius, alam in finibus suis agentem, propè vniuersam obtriuerauit: eoque initio erecta prouincia, <sup>31</sup> vt quibus bellum volentibus erat, probare exemplum, aut recentis legati animum opperiri. Tum Agricola, quamquam transacta ætas, sparsi per prouinciam numeri, præsumta apud militem illius anni quies, tarda & contraria bellum inchoaturo, & plerisque custodiri suspecta potiùs videbatur, ire obuiam discrimini statuit: contractisque legionum vexillis & modicâ auxiliiorum manu, quia in æquum digredi Ordouices non audebant, ipse ante agmen, quò ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem. cæsaque propè vniuersâ gente, non ignarus instandum famæ, ac prout prima cecidissent, fore vniuersa, Monam insulam, cuius possessione reuocatum Paullinum rebellionem totius Britannia supra memorauimus, redigere in potestatem animo intendit. Sed vt in dubijs consilijs, naues decrant, ratio & constantia ducis transuexit: depositis omnibus sarcinis, lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, & patrius nandi vsus, quo simul seque & arma & equos regunt, ita repente immisit, vt obstupefacti hostes qui classem, qui naues, qui mare expectabant, nihil arduum aut inuisum crediderint sic ad bellum venientibus. Ita petitâ pace, ac deditâ insulâ, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti prouinciam, quod tempus alij per ostentationem aut officiorum ambitum transigunt, labor & periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem vsus, expeditionem aut victoriam vocabat, victos continuisse: ne laureatis quidem gesta profecutus est, sed ipsâ dissimulatione famæ famam auxit, æstimantibus quantâ futuri spe tam magna tacuisset. Ceterum animorum prouinciæ prudens, simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis si iniuriæ sequerentur, causas bellorum statuit excindere. à se suisque orsus, primam domum suam coërcuit, quod plerisque haut minùs arduum est, quàm prouinciam regere: nihil per libertos seruosque publicæ rei: non studijs priuatis, nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare: omnia scire, <sup>32</sup> non omnia exsequi: paruis peccatis veniam, magnis seueritatem commodare: nec pœnâ semper, sed sæpiùs pœnitentiâ contentus esse: \* officijs & administrationibus potiùs non peccaturos, quàm damnare cum peccassent. Frumenti & <sup>33</sup> tributorum auctorem æqualitate munerum mollire, circumcisissimam quæ in quæstum reperta, ipso tributo grauiùs tolerabantur. namque per ludibrium as-  
 fidere

\* *Doest vox præficere, aut alia similitis.*

30. EADEM INERTIA.] *Poeta ergo illi non fides, qui Bolanum hunc magnum bellatorem facit apud filium, & trophæa eius Britannica ostendit. Statium dico: in Siluis libro v. ad Crispinum:*

Cernis adhuc titulos, hunc ipse vacatibus armis Induit, hunc regi rapuit thoraca Britanno. *quæq; alia in eodem Protreptico vatum more inflat.*

31. VT QUIBUS BELLVM VOLEN-

TIBVS ERAT.] *Vellem, vt quibusque.*

32. NON OMNIA EXSEQUI.] *Notabis Exsequi hic valere, punire, vlcisci. quod in Suetonij Iulio, cap. LXVII. Vesp. cap. XIV. Caligulâ cap. XII. in Senecâ, & alibi obseruatum.*

33. TRIBVTORVM AVCTIONEM.] *Legam, exactionem. nisi tamen tributa aucta recentior intellegit, quod Vespasianus fecerat, vt in Suetonio legas.*

34. CLAV-



A fidere <sup>34</sup> clausis horreis, & emere vltro frumenta, ac vendere pretio togebantur. <sup>35</sup> devortia itinerum & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis in remota & auia deferrent, donec quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret. Hæc primo statim anno comprimendo, egregiam famam paci circumdedit; quæ vel incuriâ, vel tolerantia priorum, haut minus quam bellum timebatur. Sed vbi æstas aduenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, disiectos coërcere: loca castris ipse capere, æstuaria ac siluas ipse prætentare: & nihil interim apud hostes quietum pati, quo minus subitis excursibus popularetur. atque vbi satis terructar, parcendo rursus \* irritamenta pacis ostentare. Quibus rebus multæ ciuitates quæ in illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus iram posuere, & præsidijs castellisque circumdata, tantâ ratione curaque, vt nulla antè Britannia noua pars illacessita transferit. Sequens hiems saluberrimis consilijs absunta. namque vt homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates assuescerent: hortari priuatim, adiuuare publicè, vt templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos, & castigando segnes. ita honoris æmulatio, pro necessitate erat. Iam verò principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum studijs Gallorum anteferre, vt qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. inde etiam habitus nostri honor, & frequens toga. paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiam. idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars seruitutis esset. Tertius expeditionum annus nouas gentes aperuit, vastatis vsque ad Taum (æstuario nomen est) nationibus. quâ formidine territi hostes, quamquam conflictatum sæuis tempestatibus exercitum, laceffere non ausi. ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse, nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fugâ desertum. crebræ eruptiones. nam aduersus moras obsidionis, annuis copijs firmabantur. ita intrepida ibi hiems, & sibi quisque præsidio, irritis hostibus, eoque desperantibus: quia soliti plerumque damna æstatis hibernis euentibus pensare, tum æstate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola vniquam per alios gesta audius intercept; seu centurio, seu præfectus, incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conuiujs narrabatur, vt bonis comis, ita aduersus malos iniucundus. ceterum ex iracundiâ nihil super erat. secretum & silentium eius non timeres. honestius putabat offendere, quam odisse. Quarta æstas obtinendis quæ percurrerat infumta. ac si virtus exercituum & Romani nominis gloria pateretur, inuentus in ipsâ Britannia terminus. Nam Glota & Bodotria, diuersi maris æstu per immensum reuerti, angusto terrarum spatio dirimuntur. quod tum præsidijs firmabatur: atque omnis

Cap. 20.

\* vel, inuitamenta

Cap. 21.

Cap. 22.

Cap. 23.

34. CLAUSIS HORREIS.] An publicis horreis, in quæ Publicani frumenta Decumarum condiderant? & quamquam haberent fortasse domi frumenta, cogebantur ab istis emere. Talia sanè horrea in prouincijs, & de ijs Tacitus in Ægypto: Germanicum apertis horreis pretia frugum leuasse, inter popularia eius facta. An ludibrium hoc (eâ voce vititur) spectat propria horrea? quæ clauderent Publicani, neque aperiri volebant, nisi pacti arbitrio suo super Decumis essent. Tale sanè Cicero Verri obijcit, in libro tertio: atque edictum etiam vulgasse in aratores, Ne tollas ex arca, nisi pactus eris. Itaque pacisci pro libidine Publicanorum debebant, qui, vt idem ait, dimidias partes pro Decumis auferebant. Quid deinde? emere vltro cogebantur, inquit. Cum videlicet tantum frumenti attributum iam Publicanis esset, ij rursus vendebant aratoribus, iubebantque emere. Satis? imò amplius, etiam vendere. Quomodo? cum grandi pecuniâ suam vendidissent, redibant, & quasi in usum militum, eorumque annonas, emebant: sed

vili pretio scilicet, & quod Præses aut potius Procurator Principis, ex eius re, dixisset. Id quoque à Verrius factum: vbi omnes hæc fraudes relatæ & reuelatæ ab illustri Oratore.

35. DEVORTIA ITINERVM.] Iterum ex Cicerone (nam quis fraudes melius retegat?) lux esto. Frumenti æstatio introducta fuit, sed primò, inquit in commodum aratoris, cum in eum locum, quò imperabatur, frumentum portare nollet. Quid fecerunt boni Præsides? Instituerunt semper ad vltima ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, vt vecturæ difficultate ad quam vellent æstimationem peruenirent. Et id vulgò factum ostendit, non solum à Verre aliquo. At Agricola emendauit, itemque postea Valerianus mandauit: Ne præses prouincialem aut possessorem cogat frumenta illic, vbi non habet, dare, equum, vbi non potest, pasce. Quia, inquit, non est vlla prouisio melior, quam vt in locis suis erogentur, quæ nascuntur, ne aut vehiculis aut sumptibus temp. grauent.

- Cap. 24. nis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus. Quinto expeditio-  
 nis anno naue primâ transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac  
 prosperis prælijs domuit: eamque partem Britannia, quæ Hiberniam aspicit, copijs in-  
 struxit, <sup>36</sup> in spem magis quam ob formidinem. si quidem Hibernia medio inter Britan-  
 niam atque Hispaniam sita, & Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperij  
 partem magnis inuicem vsibus miscuerit. Spatium eius si Britannia comparatur an-  
 gustius, nostri maris insulas superat. Solum cælumque & ingenia cultusque hominum  
 haut multum à Britannia differunt. melius aditus portusque per commercia & nego-  
 tiatores cogniti. Agricola expulsam seditione domesticâ unum ex regulis gentis exce-  
 perat, ac specie amicitia in occasionem retinebat sæpè ex eo audiui, legione vnâ & mo-  
 dicis auxilijs debellari obtinerique Hiberniam posse. Idque etiam aduersus Britanniam  
 profuturum, si Romana vbique arma, & velut è conspectu libertas tolleretur. Cete-  
 rum æstate quâ sextum officij annum inchoabat, \* ampla ciuitate trans Bodotriam \* si-  
 ta, quia motus vniuersarum vltra gentium, & infesta hostili exercitu itinera timebantur;  
 \* portus classe explorauit: quæ ab Agricola primùm assumpta in partem virium, sequeba-  
 tur egregiâ specie, cum simul terrâ, simul mari bellum impelleretur: ac sæpè iisdem  
 castris pedes equestrisque & nauticus miles mixti copijs & lætitiâ, sua quisque facta, suos  
 casus attollerent: ac modò siluarum & montium profunda, modò tempestatum ac flu-  
 ctuum aduersa, hinc terra & hostis, <sup>37</sup> hinc auctus Oceanus militari iactantiâ compara-  
 rentur. Britannos quoque, vt ex captiuis audiebatur, visa classis obstupesciebat, tam-  
 quam aperto maris sui secreto vltimum victis perfugium clauderetur. Ad manus & ar-  
 ma conuersi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore famâ, vt mos est  
 de ignotis, <sup>38</sup> \* oppugnasse vltro, castella adorti, metum vt prouocantes addiderant:  
 regrediendumque citra Bodotriam, & excedendum potius, quam pellerentur, specie  
 prudentium ignavi admonebant. cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus  
 irrupturos. Ac ne superante numero, & peritiâ locorum circumirentur, diuiso & ipse in  
 tres partes exercitu incessit. Quod vbi cognitum hosti, mutato repente consilio, vni-  
 uersi nonam legionem vt maximè inualidam, nocte aggressi inter somnum ac trepida-  
 tionem cæsis vigilibus irrupere. Iamque in ipsis castris pugnabant, cum Agricola iter  
 hostium ab exploratoribus edoctus, & vestigijs insecutus, velocissimos equitum pedi-  
 tumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab vniuersis adijci clamorem. & pro-  
 pinquâ luce fulsere signa. ita ancipiti malo territi Britanni: & Romanis redit animus; ac  
 securi pro salute, de gloriâ certabant. vltro quinetiam irrupere. & fuit atrox in ipsis por-  
 tarum angustijs prælium, donec pulsati hostes, vtroque exercitu certante, his vt tulisse  
 opem, illis ne eguisse auxilio viderentur. quod nisi paludes & siluæ fugientes texissent,  
 debellatum illâ victoriâ foret. <sup>39</sup> Cuius constantiâ ac famâ ferox exercitus: nihil virtuti  
 suæ inuium, penetrandam Caledoniam, inueniendumque tandem Britannia termi-  
 num, continuo præliorum cursu fremebant: atque illi modò cauti ac sapientes, prompti  
 post euentum ac magniloqui erant. iniquissima hæc bellorum conditio est; prospera  
 omnes sibi vindicant, aduersa vni imputantur. At Britanni non virtute, sed occasione  
 & <sup>40</sup> arte ducis rati, nihil ex arrogantia remittere, quò minus iuuentutem armarent,  
 coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac sacrificijs conspirationem ciui-  
 tatum sancirent. atque ita irritatis vtrimque animis discessum. Eadem æstate cohors  
 Vespio-

Cap. 25.  
 \* Alij, am-  
 plas ciuita-  
 tes.  
 \* sitas,  
 \* Rhen. prius

\* Fortè, op-  
 pugnauere.

Cap. 27.

Cap. 28.

36. IN SPEM MAGIS.] *Vel potius, in speciem magis.*

37. HINC AVCTVS OCEANVS.] *Putabam, victus. sed quid si auctus, quia incognitum mare iam nauigatum, & reliquo Oceano quasi adiectum?*

38. OPPUGNASSE VLTRO, CASTELLA ADORTI.] *Fortasse, oppugnare vltro, castella adorti.*

39. CUIVS CONSTANTIA AC FAMA.] *Fallor, aut conscientia legendum. Conscius sibi exercitus egre-*

*gia victoria, & ex eâ fama, maiora voluebat. Video & Pichena hoc placuisse.*

40. ARTE DUCIS RATI.] *Hæret sententia. Putabam olim, & explebam: arte ducis victos rati. Nunc magis & propius verbis: non vt virtute, sed occasione & arte ducis superati. Nam illud, super, compendio sæpè scriptum, & vnicâ litterâ: quæ & in fine antecæntis verbi est. Occasione autem victos se volunt, quia superventu subito Agricola (prius prælium vide) oppressi.*

A Vspiorum per Germanias conscripta, in Britanniam transmissa, <sup>41</sup> magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere: & vno remigrante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore vt miraculum prouehantur. mox hæc atque illâ rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium prælio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eò ad extremum inopiæ venere, vt infirmillimos suorum, mox forte ductos vescerentur. atque ita circumuecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi nauibus, pro prædonibus habiti, primùm à Sueuis, mox à Frisjs intercepti sunt. ac fuere quos per commercia venundatos, & in nostram vsque ripam mutatione eimentium adductos, indicium tanti casus illustrauit. Initio ætatis Agricola domestico vulnere ictus, anno antè natum filium amisit. Quem casum neque vt plerique fortium virorum ambitiosè, neque per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter tulit. & in luctu, bellum inter remedia erat.

B Igitur præmissâ classè quæ pluribus locis prædara, magnum & incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos & longâ pace exploratos addiderat, ad montem Grampium peruenit, quem iam hostes infederant. Nam Britanni nihil fracti pugnæ prioris euentu, & vltionem aut seruitium expectantes, tandemque docti <sup>42</sup> commune periculum concordiam propulsandum, legationibus & fœderibus omnium ciuitatum vires exciuerant. Iam que super triginta millia armiatorum aspiciebantur, & adhuc affluebat omnis iuuentus, & quibus cruda ac viridis senectus, clari bello, ac sua quisque decora gestantes. cum inter plures duces virtute & genere præstans, nomine Galgacus, apud contractam multitudinem prælium poscentem, in hunc modum locutus fertur.

Cap. 29.

Quotiens causas belli & necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem, consensumque vestrum, initium libertatis totius Britanniae fore. Nam <sup>43</sup> vniuersi seruitutis expertes: & nulla ultra terra, ac ne mare quidem securum, imminente nobis classe Romanâ, ita prælium atque arma, quæ fortibus honesta, eadem etiam ignauis tutissima sunt. Priores pugna, quibus aduersus Romanos variâ fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetrabilibus siti, nec seruentium litora aspicientes, oculos quoque à contactu dominationis inuiolatos habebamus.

Cap. 30.

C <sup>44</sup> Nos terrarum ac libertatis extremos <sup>45</sup> recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit. nunc terminus Britanniae patet. atque omne ignotum, pro magnifico est. Sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus & saxa: <sup>46</sup> & interiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium & modestiam effugeris. raptores orbis, postquam cuncta vastantibus desuere terra, & mare scrutantur: si locuples hostis est, auari: si pauper, ambitiosi. quos non Oriens, non Occidens satiauerit: soli omnium, opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. auferre, trucidare, rapere falsis

41. MAGNUM AC MEMORABILE FACINVS. ] Hodie rideamus: at olim hoc tanti fuit, quanti nunc penetrasse Magellani sinum, & orbem hunc circumdedisse. Ambrosius lib. III. Hexaem. cap. III. Illud magnum & inausum nauigantibus, atque intentatum nautis mare, quod Britannias frementi includit æquore, atque in vltiora & ipsis fabulis inaccessa secreta se porrigit. Hac autem circumuectione reiecta Britannia, & insula bonâ fide approbata. Dionem in Tito vide.

42. COMMUNE PERICVLVM CONCORDIA. ] O verba aurea! vti in inbibamus! Nempe hoc est, quod Hermocrates ille Syracusanus pulcherrimè monuit, apud Thucyd. lib. IV. Τὰς δὲ ἀλοφύλους ἐπελθόντας ἀθεροῖ, ἢ σφροδῆμι, ἀμυνόμεθα. Εἴπερ ἢ καὶ ἐκείναις βλαπτομένοι, ἐπιπύπτετε κινδυνεύουσι. Extraneos aduenientes, si sapimus, iuncti repellimus: quoniam singuli etiam si lædimur, vniuersi periclitamur.

43. NOS TERRARVM AC LIBERTATIS. ] Animosâ & alta hæc oratio Galgaci. in qua quod suos maximè hortatur ad robur, quoniam vltimi Britannorum sint, nec vlla gens ultra: facit, quod Homericus ille Ajax Iliad. o.

Αἰνέες ἔστε, φίλοι, μῆσαθε δὲ θέρειδος ἀλκῆς. Ἡ ἐπὶ πᾶσι φαιμὲν εἶναι ἀοσῆς ἡμεῶς ὀπίσσω, Ἡ ἐπὶ τῆι χῶρι ἀρεῖον ὅ κ' ἀνδράσι λογῶν ἀμύνας. O socij este viri, reminiscimini virtutis. Atergōne adiutores censetis adesse? Aut aliquem murum, qui auertat tristia fata?

44. RECESSVS IPSE AC SINVS FAMÆ. ] Mirificè dictum. Defendit nos, inquit, quod longinqui, occulti & vix famâ noti fuimus (in sinu famæ conditi) nunc omnia aperta.

45. ET INTERIORES ROMANI. ] Vett. editiones, inferiores: è quo Rhenanus, inferiores. Ego diuisim, & iis feriores. Magis feri & duri, quàm fluctus & saxa.

- Cap. 31. falsis nominibus imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac A  
propinquos suos natura carissimos esse voluit: hi per dilectus alibi seruituri auferuntur. Coniuges  
sororesque & si hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluntur. Bona  
fortunasque, in tributum egerunt; in annonam, frumentum, corpora ipsa ac manus, siluis ac palu-  
dibus emuniendis, verbera inter ac contumelias, conterunt. Nata seruituti<sup>46</sup> mancipia semel ve-  
neunt, atque ultra à dominis aluntur: Britannia seruitutem suam cottidie emit, cottidie pascit.  
At sicut in familiâ<sup>47</sup> recentissimus quisque seruorum & conseruis ludibrio est: sic in hoc orbis  
terrarum vetere famulatu, noni nos & viles in excidium petimur. Neque enim arua nobis,<sup>48</sup> aut  
metalla, aut porius sunt, quibus exercendis reseruemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum, in-  
grata imperantibus. & longinquitas ac secretum ipsum, quò tutius, eò suspectius. Ita sublatâ spe  
venia, tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloriâ carissima est. Brigantes,  
feminâ duce, exurere coloniam, expugnare castra; ac nisi felicitas in secordiam vertisset, exuere  
iugum potuere. nos integri & indomiti &<sup>49</sup> libertatem non in\* presentia laturi,<sup>50</sup> primo statim  
Cap. 32. congressu unde ostendamus quos sibi Caledonia viros seposuerit. An eandem Romanis in bello B  
vintutem, quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi discessionibus ac discordijs clari, vi-  
tia hostium in gloriam exercitus sui vertunt: quem contractum ex diuersissimis gentibus, ut se-  
cunda res tenent, ita aduersa dissolvent. nisi si Gallos, & Germanos, & (pudet dictu) Britanno-  
rum plerosque dominationi aliena sanguinem commodantes, diutius tamen hostes quam seruos, fi-  
de & affectu teneri putatis: metus & terror est, infirma vincula caritatis. qua ubi remoueris,  
<sup>51</sup> qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoria incitamenta pro nobis sunt: nulle Roma-  
nos coniuges accendunt: nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria, aut  
alia est.<sup>52</sup> paucos numero circum trepidos ignorantia, cælum ipsum ac mare & siluas ignota om-  
nia circumspectantes, clausos quodammodo ac vinctos<sup>53</sup> alij nobis tradiderunt. Ne terreat vanus  
aspectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsâ hostium acie in-  
ueniemus nostras manus. agnoscent Britanni suam causam. recordabuntur Galli priorem liber-  
tatem. deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Vrsipij reliquerunt. Nec quidquam ultra for-  
midinis, vacua castella, senum colonie, inter malè parentes & iniuste imperantes, agra municipi-  
pia & discordantia. hic dux, hic exercitus. ibi tributa & metalla, & cetera seruentium pœna, C  
quas in aeternum proferre, aut statim vlscisci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, & maioreis  
Cap. 33. vestros, & posteros cogitate. Excepere orationem alacres, & barbari moris cantu & fremi-  
tu clamoribusque dissonis. Iamque agmina, & armorum fulgores, audentissimi cuiusque  
procurfu: simul instruebantur acies, cum Agricola, quamquam lætum & vix\* monitis  
coer-

\* munimen-  
tis q. liber.

46. MANCIPIA SEMEL VENEVNT.] Egegiū  
verò membrum, & qualia multa in pulcherrimo cor-  
pore huius orationis. quâ, moriar, si quid meo sensu  
prudētius, disertius, argutius est in omni Romanâ  
linguâ. Ceterum huic sententiæ planè compar, & velut  
hinc hausta, illa Saluiani libro VI. extremo, ubi que-  
ritur Romanos tributa barbaris pendere, quæ munera  
vocabant: Dicimus donum esse, quod pretium  
est, & quidem pretium conditionis durissimæ ac  
miserrimæ. Omnes quippe captiui cum semel  
redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper  
redimimur, & numquam liberi sumus.

47. RECENTISSIMVS QVISQVE SERVORVM.]  
Itaque serui recentiores non in magno pretio. Suetonius  
aliter præfert in Iulio cap. XLVII. Seruitia re-  
centiora politioraque immenso pretio compa-  
rasse dicitur sed ipsum mendo, & interpretes astu  
libero, scriboq;: seruitia decentiora. Firmat Plinius  
lib. I. epist. XX. Credo decentes esse seruos, qui  
mihi sunt empti consilio tuo.

48. AVT METALLA.] Quid? nonne ante dictum,  
aurum & argentum in Britannia esse? dictum: sed  
hic de sese Caledonij loquuntur & sentiunt, ubi tunc

nihil horum. Arua autem non esse, cape illa fertilia  
& glebâ ubere.

49. LIBERTATEM NON IN PRÆSENTIA LA-  
TVRI.] Romana editio. & in libertatem non in præ-  
sentiam laturi. ex quo M. Antonius Muretus inge-  
niosè, diductis vocibus litterisq;, in libertatem, non  
in p. r. seruitium nati, id est populi Romani. Ambi-  
go tamen: & malim, libertatem non in præsentia  
ablati, vel illaturi. In hoc enim sententiæ huius  
penetrantis vis & velut acies est, integros adhuc Ca-  
ledonios esse, & libertatem sine ullo iugo illibatam  
habere, irent igitur pugnarentq;, non ut amissam  
iterum inferrent, sed tot sæculis retentam, ut nequis  
auferret.

50. PRIMO STATIM CONGRESSV.] Corrigo verè,  
primâ statim congressione ostendamus. Vel, con-  
gressu, nonne: interrogando.

51. QUI TIMERE DESIERINT.] Nec malè, quos  
timere desierint.

52. PAVCOS NUMERO.] Lego, numeros, & ac-  
cipio cohortes, ut notavi ad lib. I. Histor.

53. ALII NOBIS TRADIDERVNT.] Qui alij? imò  
verò, dij, repone, meâ fide, & iussu.

A coërcitum <sup>54</sup> militem adhuc ratus, ita disseruit. <sup>55</sup> Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute & auspicijs imperij Rom. fide atque operâ vestrâ Britanniam vicistis. tot expeditionibus, tot prælijs seu fortitudine adversus hostes, seu patientiâ ac labore pænâ adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum, neque vos ducis pœnituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non famâ nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inventa Britannia, & subacta. Equidem in agmine, cum vos paludes montesve & flumina fatigarent, fortissimi cuiusque vocem audiebam, Quando dabitur hostis, quando acies? Veniunt à latebris suis extrusi. & <sup>56</sup> vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa. Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria, pulchrum ac decorum in frontem; ita fugientibus periculossima, quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut comœtuum eadem abundantia: sed manus, & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vitâ potior, & incolumitas ac decus, eodem loco sita sunt. nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ sine cecidisse. Si Cap. 34.  
 nouæ gentes atque ignota acies constitisset: aliorum exercituum exemplis vos hortarer. nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Ij sunt quos proximo anno, unam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ij ceterorum Britannorum fugacissimi. ideoque tamdiu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus, fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt; reliquus est numerus ignavorum & metuentium. quos quod tandem inuenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi, & extremo metu corpora defixere in his vestigijs, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem, approbate Reip. numquam exercitui imputari potuisse, aut moras belli, aut <sup>57</sup> causas debellandi. Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, & finem orationis Cap. 35.  
 ingens alacritas consecuta est, statimque ad arma discursum. instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent: equitum tria millia, cornibus affunderentur. legiones pro vallo stetero, ingens victoriæ decus citra Romanum sanguinem bellanti, & auxilium si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterant: ita ut primum agmen æquo, ceteri per accline iugum connexi velut insurgerent: media campi couinarius & eques strepitu ac discursu complebat. Tum Agricola superante hostium multitudine veritus, ne simul in frontem, simul & latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, & arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem, & firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit. Ac primo con- Cap. 36.  
 gressu eminus certabatur. simul constantiâ, simul arte Britanni, ingentibus gladijs & breuibus cetris, missilia nostrorum vitare, vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola tres Batauorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem ad mucrones ac manus adducerent. quod & ipsis verustate militiæ exercitatum, & hostibus inhabile parua scuta & enormes gladios gerentibus. nam Britannorum gladij sine mucrone complexum armorum, & <sup>58</sup> in aperto pugnam non tolerabant. Igitur ut Bataui miscere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, & tractis qui in æquo

54. MILITEM ADHUC RATVS. ] Vox planissimè excidit, militem acuendum adhuc ratus, aut, incitandum: siue aliud tale.

55. OCTAVVS ANNVVS EST. ] Vnde numerat? ab introitu suo in prouinciam, & ad res suas aptat.

56. VOTA VIRTVSQVE IN APERTO. ] Quod Polybius dixit, ἐν ὕπαιθερί.

57. CAUSSAS DEBELLANDI. ] Quærenti apud me Guil. Barclayo erudito & sagaci viro, ex tempore emendabam, causas rebellandi. Sententia proba, ista: per vos aut ignauiam vestram minùs debella-

tum, nec per proteruiam rebellatum. Siue etiam, per eandem ignauiam: quæ visa hostes animauit, & excitauit.

58. IN APERTO PUGNAM. ] Quid ais? imò vel maximè optent, ad eò non refutent. Faciebam, in aperto, aut magis, in opertos. Qui sub armis scutisq; pugnant, & statim inuadunt, spernunt hos prælongos gladios: hodieq; res dicit. Tamen placet etiam Francisci Medicis coniectatio, in arcto pugnam: & quis stirpem è patronis illis Musarum non amet? Hodie veram gloriam ipsi sic ament.

æquo obstiterant, erigere in colles aciem cœpere; ceteræ cohortes æmulatione & impetu A  
 commistæ proximis quosque cedere, ac plerique semineces aut integri festinatione vi-  
 ctoria relinquebantur. 59 Interim equitum turmæ fugere, couinarij peditum se præ-  
 lio miscuere: & quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium ag-  
 minibus & inæqualibus locis hærebant: 60 minimeque equestris ea pugnae facies erat,  
 cum 61 in gradu stantes, 62 simul equorum corporibus impellerentur. ac sæpè vagi  
 currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, 63 transversos, aut ob-  
 vios incurfabant. Et Britanni qui adhuc pugnae expertes summa collium infederant,  
 & paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim & circumire terga vin-  
 centium cœperant: ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas ad subita belli  
 retentas, venientibus opposuisset; quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius pulsos in  
 fugam disiecit. Ita consilium Britannorum in ipsos versum, transiectaque præce-  
 pro ducis à fronte pugnantium alæ, auersam hostium aciem inuasere. Tum verò pa-  
 tentibus locis grande & atrox spectaculum: 64 sequi, vulnerare, capere, atque eisdem  
 oblati alijs trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, cateruæ armatorum B  
 paucioribus terga præstare, quidam inermes vltro ruere, ac se morti offerre. Passim ar-  
 ma & corpora, & laceri artus, & cruenta humus: & aliquando etiam victis ira virtusque.  
 postquam siluis appropinquarunt, collecti, primos sequentium incautos & locorum  
 ignaros circumueniebant. Quod ni frequens vbiq; Agricola, validas & expeditas co-  
 hortis indaginis modo, & sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul ra-  
 riores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fidu-  
 ciam foret. Ceterum vbi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam  
 versi, non agminibus ut prius, nec alius alium respectantes, rari, & vitabundi inuicem,  
 longinqua atque auia petere. finis sequendi nox & satietas fuit. caesa hostium ad decem  
 millia: nostrorum trecenti quadraginta cecidere, in quibus Aulus Atticus præfectus co-  
 hortis, iuuenili ardore & ferocia equi hostibus illatus. Et nox quidem gaudio præda-  
 que læta victoribus: Britanni palantes, mixtoque virorum mulierumque ploratu, trahere  
 vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram vltro incendere: eligere la-  
 tebras, & statim relinquere: 65 miscere inuicem consilia aliqua, dein sperare: aliquando  
 frangi aspectu pignorum suorum, sæpius concitari. satisque constabat sæuisse quos-  
 dam in coniuges ac liberos, tamquam misererentur. Proximus dies faciem victoriae la-  
 tius aperuit. vastum vbiq; silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo ex-  
 ploratoribus obuius. quibus in omnem partem dimissis, vbi incerta fugæ vestigia, ne-  
 que vsquam conglobari hostes compertum, & exacta iam æstate spargi bellum nequi-  
 bat, in fines Horestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis  
 circumuehi Britanniam præcepit. datae ad id vires, & præcesserat terror. ipse peditem  
 atque

Cap. 37.

Cap. 38.

59. INTERIM EQVITVM TVRMÆ FV-  
 GERE.] *Alij in sequentibus, ego hic offendo. Nam  
 unde hæc fuga, cum nec de pugna vlla præcesserit?  
 mira vel ipsorum ignavia, vel scriptoris nostri inco-  
 gitantia. At vitium hic esse palam odoror. Ecce  
 antea, pro more gentis, instruxit & iunxit: media,  
 inquit, campi couinarius, & eques discursu ac stre-  
 pitu complebant. Itaque isti, ut apparet, aciei in-  
 teriecti: sed Agricola neglexit, & parte alia inuasit  
 Britannos pedites. quod robur censebat. Captam autem  
 pugnam, iam equites & couinarij miscentur, sed ver-  
 bis corrigendis. Quid dicam Critica? suavis, & mo-  
 lesta es: rem video, verba requiro. Puto, Interim  
 equitum turmæ effudere, & couinarij peditum  
 se prælio miscuere. Aut potius, turmæ effusa &  
 couinarij. Profecto iam pugnarunt, & sequens nar-  
 ratio tota dicit: attende.*

60. MINIMEQVE EQVESTRIS EA PV-  
 GNÆ FACIES.] *Vides equestre prælium? non-*

*dum ergo fugerunt, ut vulgata lectio volebat.*

61. IN GRADV STANTES.] *Hærebant enim lo-  
 cis iniquis, ut dixit, tum & conferta Romanâ vel So-  
 ciali acie.*

62. SIMVL EQVORVM CORPORIBVS.] *Quid  
 clarius, quam hæc ad singulares equites referenda? qui  
 stantes herentesq;, sine suo impetu, facile cum ipsis  
 equis pellebantur à peditibus, ut ingruente.*

63. TRANSVERSOS, AVT OBVIOS.] *Quos? Ro-  
 manos? non: sed ipsos suos equites, quos turbabant  
 aut euerdebant.*

64. SEQVI, VVLNERARE, CAPERE.] *E Sallustio  
 sumpta hæc scio, qui in Iugurtino: tum spectaculum  
 horribile in campis patentibus, sequi, fugere, oc-  
 cidi, capi, equi atque viri afflicti.*

65. MISCERE INVICEM.] *Totâ hæc periodo or-  
 natum ex oppositis quaesivit, ideoq; hic legam, dein  
 separare. Aliquando, inquit, cum alijs, aliquando  
 rursus secum deliberabant.*

66. TRV-

A atque equites lento itinere, quò nouarum gentium animi ipsâ transitus morâ terrerentur, in hibernis locauit. Et simul classis secundâ tempestate ac famâ <sup>66</sup> Trutulensem portum tenuit, vnde proximo latere Britannia lecto \* omni redierat. Hunc rerum <sup>67</sup> cursum, quamquam nullâ verborum iactantiâ, <sup>67</sup> epistolis Agricolaë actum, vt Domitiano moris erat, fronte lætus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum è Germaniâ triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti famâ celebrari. Id sibi maximè formidolosum, priuati hominis nomen supra Principis attolli: frustra studia fori, & ciuiliu artium decus in silentium acta, si militarem gloriam <sup>68</sup> alius occuparet: & cetera vtcumque faciliùs dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque læuæ cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in præsentia statuit reponere odium, donec impetus famæ & fauor exercitus languesceret. nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. Igitur <sup>69</sup> triumphalia ornamenta, & illustris statuæ honorem, <sup>70</sup> & quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu iubet: addique insuper opinionem, Syriam prouinciam Agricolaë destinari, vacuum tum morte Atilij Rufi consularis, & maioribus reseruatam. Credidère plerique libertum ex secretioribus ministerijs missum ad Agricola, codicillos quibus ei Syria datur tulisse, cum præcepto, vt si in Britannia foret, traderentur: eumque libertum in ipso freto Oceani obuium Agricolaë, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse. siue verum istud, siue ex ingenio Principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo prouinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate & frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in urbem, noctu in palatium, ita vt præceptum, venit: exceptusque breui osculo & nullo sermone, turbæ seruientium immixtus est. Ceterum vt militare nomen, graue inter otiosos, alijs virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus auxit, cultu modicus, sermone facilis, vno aut altero amicorum comitatus: adeò vt plerique, quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos est, viso aspectoque Agricolaë, quærent famam, pauci interpretarentur. Crebrò per eos dies apud Domitianum absens accusatus, absens absolutus est. causa periculi non crimen vllum, aut querela læsi cuiusquam, sed infensus virtutibus Princeps, & gloria viri, ac <sup>70</sup> pessimum inimicorum genus, laudantes. Et ea infecuta sunt reipublicæ tempora, quæ fileri Agricola non sinerent: tot exercitus in Mœsia Daciaque, & Germaniâ Pannoniaque, temeritate aut per ignauiam ducum amissi: <sup>71</sup> tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti. nec iam de limite imperij & ripâ, sed de hibernis legionibus & possessione dubitatum. Ita cum damna

\*omnis  
Cap.39.

Cap.40.

Cap.41.

na

66. TRVTVLENSEM PORTVM.] Ignotus est. itaque alij volunt, Rutupensem.

67. EPISTOLIS AGRICOLÆ ACTVM.] Hæsi olim. nunc leni emendatione me expedit, auctum, pro actum, rescribens.

68. ALIVS OCCVPARET.] Putabam, altius, vel artius, siue arctius. De Agricola Domitianus ratiocinatur, & sese exstimulat: Frustrâ silentio transitas ciuiles artes, si in militari præpolleret. Quòd si vulgata placet, de ipso Domitiano accipies, querente: Frustrâ se liberalia studia initio Principatus neglexisse (ita Suetonius cap. XX.) vt ad militaria & imperatoria se daret scilicet: si ecce alius eam gloriam occuparet. Atque hanc veram sententiam puto. Videbatur enim sibi in studijs & eloquentiâ potuisse excellere, si perseuerasset.

69. TRIVMPHALIA ORNAMENTA.] Palàm est hæc à Domitiano tributa: quod Tacitus de socero non potuit, credo, ignorare. Tamen Dio vult à Tito: Εὐφάην, inquit, ἔλα ταῦτα ὑπὸ Δομιτανῶ, καί-

περ τὰς ἑπιτιμίας πινὰς ὧν τὴ Τίτῳ λαβῶν.

70. PESSIMVM INIMICORVM GENVS, LAUDANTES.] Gnome ex ipsis adytis humane vite. cui Mamertinus interpres, Panegyrico ad Iulianum: Cum, inquit, sancti Principis merces (legimus mores) atque instituta falsarum vituperationum licentiam submouerent: callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conuenticulis quasi per beniuolentiam illa iactantes, Iulianus Alemanniam domuit, Iulianus vrbes Galliaë excitauit, &c. Statimq;: Hæ voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis & gloriaë refutarentur. inuenerunt accusandi genus, quod nullus refelleret.

71. TOT MILITARES VIRI.] Ego dubito an non, tot militares numeri. Atqui de Cohortibus iungit. Ita, sed illos Romanos intellegit, hæc Sociales.

72. ASIÆ

na damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola: comparantibus cunctis vigorem, constantiam, & expertum bellis animum, cum inertia & formidine eorum. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore & fide, pessimi malignitate & liuore, prouum deterioribus Principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitijs aliorum, in ipsam gloriam præceps agebatur.

Cap. 42.

Aderat iam annus quo proconsularum<sup>72</sup> Asiæ & Africæ sortiretur, & occiso Ciuicâ nuper, nec Agricolaë consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum Principis periti, qui iturus ne esset in prouinciam, vltiò Agricolam interrogarent. ac primò occultius quietem & otium laudare, mox operam suam in approbandâ excusatione offerre: postremò non iam obscuri, suadentes simul terrentesque, pettraxere ad Domitianum. qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, & audiit preces excusantis, & cum annuisset, agi sibi gratias passus est: nec erubuit beneficii inuidiâ.<sup>73</sup> Salarium tamen proconsulari solitum offerri, & quibusdam à seipso concessum, Agricolaë non dedit: siue offensus non petitem, siue ex conscientia, ne quod venterat videretur emisse. Proprium humani ingenij est,<sup>74</sup> odisse quem læseris: Domitiani verò natura præceps in iram. & quò obscurior, eò irruocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolaë leniebatur. quia non contumaciâ, neque inani iactatione libertatis, famam fatumque prouocabat. Sciant quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint,<sup>75</sup> eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed<sup>76</sup> in nullum rei post

Cap. 43.

usum, ambitiosâ morte inclaruerunt. Finis vitæ eius nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine curâ fuit. Vulgus quoque, & hic aliud agens populus, & ventitauere ad domum, & per fora & circulos locuti sunt: nec quisquam auditâ morte Agricolaë, aut lætatus est, aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, veneno interceptum. Nobis nihil comperti affirmare ausim. ceterum per omnem valetudinem eius, crebrius quàm ex more principatus per nuntios visentis, & libertorum primi, & medicorum intimi venere: siue cura illud, siue inquisitio erat. Supremo quidem die momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari, quæ tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque præ se tulit,<sup>77</sup> securus iam odij, & qui facilius dissimularet gaudium quàm metum. Satis constabat lecto testamento Agricolaë, quo coheredem optimæ vxori & piissimæ filiaë Domitianum scripsit, lætatum eum, velut honore iudicioque: tam cæca & corrupta mens assiduis adulationibus erat, vt nesciret à bono patre non scribi heredem, nisi malum Principem.

Cap. 44.

Natus erat Agricola Caio Cæsare tertium Cons. idib. Iunijs: excessit sexto & quinquagesimo anno, decimo Kalen. Septemb. Collegâ Priscoque Coss. Quòd si habitum quoque eius posterum noscere velint, decentior quàm sublimior fuit. nihil metus in vultu: gratia oris supererat. bonum virum faciliè crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quam-

72. ASIÆ ET AFRICÆ.] Non potest, vt sortitus fuerit vtrumque simul. nec ferunt Romani mores. Scribo, Asiæ aut Africæ.

73. SALARIUM TAMEN PROCONSULARI.] Nihil magis ad huius loci lucem (vt ne ab alto aut longinquo petam) quàm que Dio Cassius in Fragmento rerum Macrini conscripsit. At Aufidium Frontonem, neque Africæ Proconsulatu donatum à Macrino, etli sortitus eam esset, neque item Asiæ. & addit: Τόγε ἢ ἰνὸν ἰνὸν ἰνὸν ἰνὸν, ἢ οἱμοὶ μὲν ἰνὸν ἰνὸν, τὰς πέντε ἢ εἰκοσι μυριάδας, δὸβῆναι εἰσηγήσατο. Οὐ μὲντοι ἢ εἰκοσι ἀντὰς ἔλαβεν, εἰπὼν, ἢ ἀργυρεῖς, ἀλλ' ἢ γυνοῖας δέειδε: Adiuuctum tamen salarium, etiam domi manenti ipsi, viginti quinque myriadas drachmarum, dari statuit. quod ille non accepit, dicens non pecuniæ sed imperij hono-

risque se egere. Vides retineri solitos; vides Salarium tamen accipere; vides & ipsam summam, serio notandam. Ea est decies HS. siue XXV. millia Philippicium.

74. ODISSE QVEM LÆSERIS.] Seneca II. de Irâ: Hoc habent animi magnâ fortunâ insolentes, quos læserunt & oderunt.

75. EO LAVDIS EXCEDERE.] Malo, accedere, vel potius escendere. Sequentia huius comprehensionis parum integra censeo.

76. IN NULLVM REI POST VSVM.] Non displicet iunctim & quasi compositè, post-usum. Id est, morte eâ nec in posterum aliquid consuluisse, vel vtiliter prestituisse. Mercero placebat: in nullum reipublicæ usum. ingeniosè, & fortasse verè.

77. SECVRVS IAM ODII.] Id est, qui odium non



**A** quamquam medio in spatio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriam longissimum ævum peregit. Quippe & vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleuerat; & Consularibus ac Triumphalibus ornamentis præditi, quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimis non gaudebat, speciosæ contigerant. filiâ atque vxore superstitibus, potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente famâ, saluis affinitatibus & amicitijs futura effugisse. Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce, ac Principem Traianum <sup>78</sup> videre, augurio votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatæ mortis grande solatium tulit, euasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per interualla ac spiramenta temporum, sed continuo & velut vno ictu rempublicam exhaustit. Non vidit Agricola obsessam curiam, & clausum armis senatum, & eadem Cap. 45. strage tot sæcularium cædes, tot nobilissimarum feminarum exilia & fugas. Vnâ adhuc victoriâ Carus Metius censebatur, & <sup>79</sup> intra Albanam villam sententia Messallini strepebat, & Massa Bebius <sup>80</sup> iam tum reus erat. <sup>81</sup> Mox nostræ duxere Heluidium in

**B** carcerem manus: nos <sup>82</sup> Maurici, Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectauit. præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & aspici: cum suspiria nostra subscriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus & <sup>83</sup> rubor, à quo se contra pudorem muniebat. Tu verò felix Agricola non vitæ tantum claritate, sed etiam

non curaret, facile iam deponeret, ut in mortuum: ideoque & doloris affectum facile induit.

**78. VIDERE OMINABATUR.]** Mirum si tot annos ante presagij? nec de Traiano vlla spes aut suspicio; nisi si Deus mentem illi mouit, aut nostro scriptori Blanditia, quod non solet.

**79. INTRA ALBANAM VILLAM.]** Veteres editiones, intra Albanam arcem villam. Opinor, villam, glossematium esse: & germanum, Albanam arcem. Certè Domitianus delectatus eo loco, eumque habuit velut arcem. Dionis compendium: Τὸ τοῦ χωρίου ὑπὸ τὸ βεγγε τὸ Ἀλβανόν, ἀφ' ἧς περ ἄνω ἀνομιᾶδην, ἐν ᾧ ἄνω περ πνεῦ ἀκροπόλιν ἐξείλετο. Pichena vellet: intra Albanam arcem nulla sententia: quasi dicat, nondum tunc auditum ibi Messallinum. Ego putarem dicere, quod adhuc intra Albanam arcem, non in Senatu & publico, calumniator ille audiretur. At pestes illas hominum, & districtos eius cui accusatores, Plinius passim nominat. etiam Sidonius: Hi sunt quorum comparatione digitum tollerent Narcissus, Asiaticus, Massa, Marcellus, Carus, Parthenius, Licinius. Iuuenalis:

— quem Massa timet, quem munerè palpat Carus.

**80. IAM TUM REUS ERAT.]** Qui damnatus quidem postea est accusantibus Baticis. ut discas ex Plinij epistolâ vlt. lib. VII.

**81. MOX NOSTRÆ DVXERE.]** Nam in Senatu accusatus, & manus ibi ei iniectæ sunt, maxime & primum à quodam Certo. Plinij epistola legatur XIII. libri IX. Hæc autem referenda, nequis erret, ad Heluidium filium, quem Domitianus occidit (Suetonius cap. X.) cum patrem eius ipse Vespasianus. idem Sueton. Vesp. c. XV. Sed Heluidius hic filius quâ matre natus? Habuit sanè Heluidius pater Fanniam vxorem, filiam Thræscæ Pæti: quod in epistolâ XIX. lib. VII. apud Plinium clarè scriptum. Non tamen hæc mater, sed nouerca. & ita idem Plinius appellat epistolâ XIII. libri IX. Fuerat cum Arriâ & Fanniâ, quarum altera Heluidio nouerca, altera mater nouerca. Nam Fannia hæc vxor Heluidij Prisci,

ut Arria vxor Thræscæ; & ergo Fannia mater. Ex his liquet Heluidium patrem, aliam vxorem ante Fanniam habuisse, & ex eâ prolem: etsi Quæstorius adhuc à Thræscâ gener sit electus, ut libro IV. scriptum.

**82. MAVRICI, RVSTICIQVE VISVS.]** Scriptura apud me fidei fluxe. Quo enim illud, visus? Nec melius tamen video: aut potius in sententiâ hac nihil video. Viri ipsi mihi notiores, è quibus Mauricus, Iunius est Mauricus, quo viro nihil firmius, nihil melius, ait Plinius lib. IV. epistolarum. Eum à Domitiano in exilium pulsum, redisse principatu primo Neruæ, docet te idem lib. I. epistolâ V. At Rusticum hunc, Iunium Rusticum nominat Suetonius in Domitiano: Occidit Iunium Rusticum, quod Pæti Thræscæ & Heluidij Prisci laudes edidisset. Etiam lapis vetus, siue inscriptio basis:

L. IVNII RVSTICI  
PHILOSOPHI  
STOICI  
L. IVNIVS. L. L.  
MYRINVS. P. P.

At noster Arulenum Rusticum appellat, initio huius libelli: & Plinius epistolâ V. lib. I. de Regulo: Rustici Arulehi periculum fouerat, exultauerat morte, adeo ut librum recitaret publicaretque, in quo Rusticum infectatur, atque etiam Stoicorum summam appellat. Ut omnino nomina illi fuerint, L. Iunius Arulenus Rusticus. Plinius ipse hunc velus doctorem monitoremque habuit, & in laudes eius erumpit epistolâ XIV. lib. I. Etiam Plutarchus, extremo libello De Cariositate, factum eius plenum constantie recensuit. Et Antoninus epistolam inseruit I. De sua vitâ. At Senecio, Herennius Senecio est, Plinio non semel item nominatus. Reus & interfectus fuit, quod de vitâ Heluidij libros composuisset, ait Plinius lib. VII. Sed vos magnæ animæ mihi saluete: quos iure miramur, colimus, factis dictisque sapientes, & legitimos robustæ porticus alumnos.

**83. RVBOR, A QVO SE CONTRA.]** Particulam

iam opportunitate mortis. ut perhibent qui interfuerunt nouissimis sermonibus tuis, A  
constans & libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam Principi  
donares. Sed mihi filiaque, præter acerbitatem parentis erepti, auget mæsticiam, quod  
assidere valetudini, fouere deficientem, satiari vultu, complexu, non contigit. <sup>84</sup> exce-  
pisssem certè mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, no-  
strum vulnus: nobis tam longæ absentia conditione ante quadriennium amissus es.  
Omnia sine dubio, optimâ parentum assidente amantissimâ vxore, superfuere honori  
tuo: paucioribus tamen lacrymis compositus es, & nouissimâ in luce desiderauere ali-  
quid oculi tui. Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum cor-  
pore exstinguuntur magnæ animæ; placidè quiescas, nos domum tuam ab infirmo desi-  
derio, & muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas ne-  
que lugeri, neque plangi fas est: <sup>85</sup> admiratione te potius \* temporalibus laudibus, & si  
natura suppeditet, \* militum decoramus. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pie-  
tas. Id filia quoque vxori que præceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut B  
omnia facta dictaque eius secum reuoluant, famamque ac figuram animi magis quam  
corporis complectantur. non quia intercedendum putem imaginibus quæ matmore  
aut ære finguntur: sed ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia  
sunt, forma mentis æterna. quam tenere & exprimere non per alienam materiam & ar-  
tem, sed tuis ipse moribus possis. Quidquid ex Agricola amauimus, quidquid mirati  
sumus, manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, famâ  
rerum. Nam multos veterum velut inglorios & ignobiles obliuio obruet, Agricola po-  
steritati narratus & traditus, superstes erit.

Cap. 46.

*culam superesse puto, & lego, rubor quo se. Porro de hoc Domitiani fallaci habitu, Plinius in Panegyrico: Ira in oculis, fæmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Item Suetonius cap. XVIII. Et communiter, Seneca epist. XI. Quidam numquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cum faciem eius sanguis inuaserat.*

84. EXCEPISSEM CERTE MANDATA: ] Planè

*Homericum est. Ita enim apud eum Andromache lu- gens Hectorem:*

Οὐδὲ π μοι εἶπες πυκνὸν ἔπος, ἔ τέχην αἰεὶ  
Μεμνήσθαι νύκτας τε καὶ ἡμέρας δ' ἀκροχέουσα.

Nec mihi sermones dixisti, quorum ego sem- per

Noctes atque dies lacrymis suffusa recorder.

85. ADMIRATIONE TE POTIUS. ] *Cennum & lutum, quod non purgo. Priora tentem: admiratione te potius, te immortalibus laudibus.*

